



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 84. Hildesiensis controversia tandem composita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

§. LXXXIV.

*Hildesienfis controversia tandem
composita.*

Sæc. XVIII.
A. C. 1711.

Jam per plurimos annos acerrima con-
troverfia inter Hildesheimenfes Epi-
scopos, & Duces Brunsvico - Lune-
burgenfes tam in Ecclesiasticis quam
Politicis fervebat: Ejus origo repeten-
da est ab anno Christi millesimo quin-
gentesimo vigesimo primo, quo Caro-
lus V. Imperator Joannem Hildeshei-
menfem Episcopum ob concitatas belli
turbas proſcripfit, ac hujus ſententiæ
executionem Henrico & Erico Bruns-
vico - Luneburgenfibus Ducibus com-
miſit. Hi ergo potiffimam Epifcopa-
tus partem occupant, quam ad refunden-
das executionis expenſas per Quedlin-
burgenſe pactum anno præfati ſæculi
vigefimo tertio initum & poſtea ab Im-
peratore & a Paulo III. Anno 1537.
confirmatum mediantibus Alberto Car-
dinale Moguntino & Magdeburgenſi, &
Georgio Saxonum Duce ſibi vendica-
runt: Hæc poſſeſſio videbatur iniqua
Valentino de Teutleben Hildesienſi Epi-
ſcopo, qui totam controverſiam Pon-
tificis judicio ac diſcuſſioni relinquens
obtinuit, ut idem Pontifex agnitis
cauſſæ meritis Quedlinburgenſe pactum
reſcin-

*Elect. Jur.
Publ. t. 3.
pag. 187.
& ſeqq.*

Sæc. XVIII
A. C. 1711.

rescinderet, & hucusque usurpata restitui decerneret. Hanc Pontificis sententiam Spirensis Curia per solemne decretum anno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo nono executioni dedit, ac Friderico Ulrico Brunsvico-Luneburgensi Duci præcepit, ut Hildesensem ditionem, & proventus inde haustos Episcopo restitueret: Reclamabat, incassum tamen, præfatus Dux quocirca Episcopus & Clerus sibi erepta vindicarunt: paulopost tamen Duces armorum potentia freti non modo urbem & redditam Hildesensis Episcopatus partem, sed etiam illam, quæ Episcopo per præfatum pactum antea relicta erat, vi occuparunt: Nimum atrox erat violenta hæc usurpatio, ut ab Imperatore Ferdinando III. æquitate studiosissimo dissimulari potuisset: hujus ergo opera post crebras consultationes Goslarix & Brunsvici habitas die nona Aprilis anno millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio cum Brunsvici Ducibus pactum est erectum, vi cujus illico minorem Episcopatus partem, & anno sequenti totum Episcopatum reddere compulsi fuere. Hanc in rem eodem anno die vigesima septima Aprilis inter Ferdinandum Coloniensem Electorem tum Hildesensem Epi-

Episcopum ejusque Capitulum ac inter Sæc. XVIII.
 Christianum Ludovicum Luneburgen- A. C. 1711.
 sem Ducem circa Religionis controver-
 sias conventum, ut Episcopus indul-
 geat, quatenus Lutherani Nobiles in
 Hildesheimensi Episcopatu libro Reli-
 gionis exercitio per septuaginta & ce-
 teri subditi per quadraginta annos gau-
 derent, vicissim vero Duces Episcopo,
 & Capitulo liberum relinquunt, ut in
 omnibus sui Episcopatus locis exerci-
 tium simultaneum Religionis Catholicæ
 invehant, adeo, ubi duæ sunt Eccle-
 siæ, illa, in qua Lutherani hucusque
 Sacra sua celebrabant, eis remaneat,
 altera Catholicorum sit, ubi vero non-
 nisi unica est, hæc utrique religioni
 sit communis: evolutis autem præfa-
 tis annis Episcopus Lutheranis indul-
 tum Religionis exercitium prorogare
 non teneatur. Postquam vero Duces
 hæc pacta paci Westphalicæ esse con-
 traria ac revocata asserebant, & Hil-
 desheimensem Episcopum ad novum pactum
 circa eorum Consistoria confirmandum
 compulerant, varias molestias Episcopo,
 Capitulo & Catholicis tam circa jus
 Braxandi, quam Religionis exercitium
 irrogarunt: Equidem Episcopi cum suo
 Capitulo mox adversus quosdam hu-
 jus pacti, ut vocant, Consistorialis
 arti-

Sæc. XVIII. articulos, utpote Ecclesiæ ac religioni
A. C. 1711. noxios reclamarunt, insistentes primo
 pacto, quod duntaxat quoad tempus
 limitatum emigrandi, ceteris salvis,
 per pacem Westphalicam abolutum fuisse,
 ipsosque Lutheranos, dum Religionis
 pactum in Consistoriali pacto confirmarunt,
 dispositioni pacis Westphalicæ renuntiasse
 comprobant; nihilominus sub obtentu, quod
 Catholici hæc pacta violarint, Elector
 Hannoveranus Capituli redditus sequestrari
 nomine anno hujus sæculi tertio contra
 Cæsaris mandata & sententias occupavit:
 Insuper Lutherani gravamina, quæ vel
 nulla, vel probari non poterant, Catholicis
 objecerunt, & pro more suo, dum
 Catholicos in Religionis suæ exercitio
 turbarent, se a Catholicis gravari querebantur:
 Cum ergo Capitulum innumeris premeretur
 calamitatibus, Mense Junio anno hujus
 sæculi quinto apud Cæsarem & in comitiis
 querebatur, quin Lutherani ejusmodi
 mandatis parerent: ut igitur a tam
 sæva vexatione sese Capitulum liberaret,
 Religionis gravamina, si quæ essent,
 tollere promisit, mox tamen novus
 vexandi obtentus quærebatur, dumque
 Catholici suis juribus insisterent, rursus
 non modo totius Cleri redditus usurpantur,
 sed etiam quadringenti

genti Hannoverani milites Capituli ex-
pensis alendi Hildesheimium, Peinam, Sæc. XVIII.
atque ceteras urbes & pagos Episco- A. C. 1711.
pales & præfecturas occupant: qua-
propter Capitulum rursus Cæsaris ac
Imperii opem implorare cogebatur,
ac ipsemet Papa datis die vigesima pri-
ma Martii literis Josephum Imperato-
rem, Lotharium Franciscum Mogunti-
num & Trevirenses Electores, Augu-
stum Poloniæ Regem, Antonium Bruns-
vicensem Ducem, & Cardinalem de
Lamberg, Salisburgensem Archiepisco-
pum, ceteros Germaniæ Episcopos &
Campidunensem & Fuldensem Abba-
tes impense rogabat, ut suæ tutelæ ac
patrocinio commendatam habere velint
Hildesensem Ecclesiam Pastoris sui
præsentia destitutam, cujus Arcem
Peinensem ipsamque urbem Hildesien-
sem Hannoveranus Elector immis-
sis copiis occupasset: suum quoque dolorem
& officia apud Principes interposita Ca-
nonicis significabat, eos hortatus, ut
hanc causam invicto animo & concor-
dibus studiis tueantur. Insuper Albano
Nepoti suo districte mandavit, ut hoc
negotium in Electorali conventu Fran-
cofordiensi impense promovere stude-
ret: nihilominus tamen insuperhabita
submissa Capituli declaratione non mo-
do vexationum finis non erat, sed in-
super

Sæc. XVIII. super Lutherani ter mille septingentos

A. C. 1711. quadraginta quatuor aureos pro unico

Mense Martio a Capituli Præfecturis extorserunt, hasque Præfecturas, cum petitas pecunias solvendo impares essent, armata vi deprædati, ingentem frumenti copiam inde avexerunt, variisque ærumnis subditos divexarunt. Querebatur equidem Capitulum in comitiis de turbata pace publica, & ipsi met Protestantes hasce violentias detestabantur, Hannoverani tamen suas violentias atque usurpationes sinistra pacis Westphalicæ interpretatione vulgatisque scriptis vindicare nitebantur. Tandem vero Capitulum, ut extremum declinaret excidium, die undecima Julii & decima sexta Novembris hoc anno in hæc pacta consentire adigebatur. I. Rescisso pacto Anni 1643. Pax Westphalica pro norma habeatur, nisi in quantum per pactum Consistoriale a termino decretorio recessum fuit. II. Catholicis neo-erectæ Ecclesiæ & Monasteria usque ad Imperii decisionem relinquuntur. III. Capitulum Capitulationi Episcopali hæc verba haud amplius inserat: *Catholicam Religionem pro posse & munere Episcopali non modo in minori Diæceseos parte, sed & in majori ejusdem parte Lutheranismò infecta propogabimus, & in eo toti erimus, ut ad minus*

in iisdem simultaneum Religionis exercitium Sæc XVIII.
introducatur. IV, Capitulum deinceps A. C. 1711.
 nova Sacella, Monasteria, Cruces &c.
 non erigat, ubi Anno 1624. non fue-
 rant erecta. V. In locis, ubi soli Lu-
 therani erant, libere suo fruantur exer-
 citio, æque ac Catholici. VI. utrius-
 que Religionis Ecclesiasticis salvi ma-
 neant eorum redditus. VII. Illi, qui
 jus Patronatus habent, in conferendis
 Parochiis a simonia abstineant. VIII.
 Lutherani ad Catholicorum supplica-
 tiones sacras non adigantur. IX. Lu-
 theranorum Consistorio interfit Episco-
 palis Deputatus, non tamen Directo-
 ris officio fungatur. X. Neutra pars
 aliam in Ecclesiis vel alibi convitiis
 proscindat, sed præteritorum quælibet
 obliviscatur &c. Verum hæc pacta
 Pontifex anno sequenti irrita declara-
 vit, ut postea referemus.

§. LXXXV.

Bellicæ hujus anni expeditiones.

Marte ob suspectam Anglorum fidem, *Hode Hist.*
 atque jactatas pacis condiciones *de Louis*
 suspenso Belligerantes ubique segnius *XIV. l. 61.*
 agebant. In Flandria die decima Julii
 foederati post iteratas, easque cruen-
 tas velitationes Bochanium cepere,
 absdubio Quercetum expugnaturi, nisi
Hist. Eccles. Tom. LXVIII. Aa ob-